



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Vtî amans anima Deo satiari, in illumq[ue] transformari desideret. Cap.  
XXIII [i. e. XXVI].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*Vti amans anima Deo satiari, in illumque transformari desideret.*

## CAPVT XXVI.

**C**omedam te & delicatissime ciborum omnium, vita mea, & dulcedo mea sancta, Deus meus: nec tu mutaberis in me, sicut cibus carnis meae, sed ego mutabor in te. Mutabor inquam in te, vt tota transiens in te incommutabilem, iam vltra nullam commutationem recipiam, post illam felicissimam mutationem, cum mea ignominia in tuam gloriam, mea paupertas in tuas diuitias, mea fragilitas in tuam potentiam, meus labor in tuas delicias, mea esuries & sitis in tuam satietatem, mea intemperies in tuam temperantiam, mea mortalitas in tuam vitam commutabitur: vitamque iam non ego, viues verò tu in me vita deliciofa, vita sempiterna sponse meus, honor meus, thesaurus meus, fortitudo mea, voluptas mea, satietas mea, salus mea, vita mea, rex meus & Deus meus: erotque de tua bonitate bona, de tua prudentia prudens, de tua simplicitate simplex, de tua serenitate serena, de tua diuinitate diuina, de te ero tu, quia tecum secundum petitionem tuam in vnum consumata, vnum ero in te & tecum, sicut in Patre tuo tu es vnum, ita vt hanc vnitatem acquiram per gratiam, quam tu habes per naturam.

Ad hoc enim, sponse benignissime, meae humanitatis factus es particeps, vt me tua diuinitas faceres esse participem. Ad hoc in mea carne mihi vnitus es, vt me tuo spiritui vnires, & fierem vnus spiritus tecum, omni carnalitatis molestia deposita, & ad similitudinem tuam spiritali lenitate assumpta, vt quicquid bonum est, velim in te, quicquid voluero, prosum per te, quicquid voluero, sciam abs te.

Illuminabit me lux tua lucidissima, vt non tam illuminata videar, quam lumen docebit me vox tua facundissima abscondita, ab initio mihi eruens: satiabis me de te ipso tu ipse, & voluptas mea, sancta suauitate mirifica, plena perfruitione tua, vt cum Angelis tuis pleno te ore manducans, non esuriam, neque sitiam in aeternum: inflammabit me ardentissima charitas tua, vt tota in quendam diuinum ignem conuersa, non timeam à frigoribus niuis, ad quam transibunt damnati à calore nimio. Ero enim sicut & alij domestici tui, vestita duplicibus igne scilicet duplicis charitatis accensa.

*Vti amans anima odore diuini altaris hoc est, deifici amorosissimiq;  
diuini cordis suauitate attracta, cuncta mutabilia transcen-  
dere, ibiq; suam requiem constituere  
desideret.*

## CAPVT XXVII.

**O**dor vnguentorum tuorum fragrans & Domine super omnia aromata, nares meas iam ab omni carnali & mundana concupiscentia expurgatas, delectationis tuae suauitas mulcebit, & sua delictabili violentia trahet me post te, trahet me ad te, trahet me in te: ita vt omni corruptibili grauitate reiecta eam post te, curram ad te, volem in te, nidumque faciens in altari cordis tui, ibi reponam pullos meos, opera mea, verba mea, cogitatus meos, quos illuc iactabo in te, & tu enutries eos.

Mmm z Ibi;